

bus, qui numquam ratione usi fuerunt, & ratio est: quia ad effectum consequen- di huius modi sacramentum, plurimum valet deuotio suscipientis, & personale meritum conferentis, & generale totius Ecclesie, quod patet ex hoc: quia per modum deprecationis forma huius sacramenti confertur. Ideo illis, qui non possunt recognoscere, & cum deuotione recipere hoc sacramentum, dari non oportet, & precipue perpetuo furiosis, & amentibus, quia furiosis, & amentibus habentibus lucida intervalla posset admistrari, si illud in sanitate peterent, & hoc sacramentum recognoscerent, ita Turrecrem. in cap. presbyteros, nume. 7. dist. 50. Ex quibus omnibus habetur, quod hoc sacramentum est dandum adultis, inimo etiam pueris, qui annos discretionis attigerint, infirmis in periculo mortis constitutis ex ipsa infirmitate, vel etiam his, qui præ senio deficiunt etiam sine actuali infirmitate. Non datur vero euntibus ad bellum, aut nauigantibus, aut his, qui mox occidendi sunt, similiter nec pueris, qui dispositionem deuotionis habere non possunt. Nec perpetuo phreneticis, & amentibus.

19 Sexta. † Sacerdos habens inungere, non habet oleum infirmorum, sed inungit chrismate. Io. dist. 9. §. sed illud, tener, quod non valet unctio. Idem tener, quod non valet si ungetur oleo non consecrato. Et nota, quod quando ungitur infirmus ad oculos, vel aures, &c. debet geminare unctioes: si verò infirmus habet pedes mutilatos, tunc debet inungilo ea magis propinqua. & quando infirmus videtur agonizare, tunc presbyter debet accelerare unctioem, dimittendo septem Psalmos penitentiales, ne forte moriatur agonizans sine sacramento unctiois. ita Pet. de Palu. siue commentator.

20 Septima. † Cum hoc sacramentum fuerit institutum duplici ex causa, ad remissionem venialium, & ad corporalis infirmitatis alleviationem. Hinc constat eum, qui hanc unctioem ex deuotione percepit, & in corpore, & in anima al-

leuari, si tamen expedit ut in utroque alleuietur. Quod si corporis valetudine habere illi non expedit, illum, quæ est anime sanitatem in hoc sacramento acquirit. Quod si in toto iustus est, saltem consequetur augmentum virtutum, & maiorem constantiam, arg. de consecr. dist. 5. c. 1. & 2. & de sacr. vnct. cap. 1.

21 Octaua. † Extrema unctio quandoque potest iterari, cum imprimat effectum non perpetuum, sed debilem in his casibus. Et primus, si ultra annum duret morbus post acceptam unctioem; & ratio est: quia non iudicatur idem morbus inuncto. ita Imola, in Clem. 1. de priuil. Astens. lib. 5. art. vlt. Secundus, si reciduum infirmitatis patitur, & erit alia infirmitas: quia poterit fieri alia unctio. Tertius in egritudinibus diuturnis, ut hydrophis, & huiusmodi: quia tunc infirmus est ungendus, quando est in periculo mortis. Quod si illud periculum euadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducat, potest iterum ungi: quia iam est alius status infirmitatis, quamuis non sit alia infirmitas simpliciter. Ita D. Tho. F. Ioan. in sum. Confess. tit. de sacr. unct. q. ult. Sequitur Henric. de sacram. iter. cap. 1. num. 4.

SUMMARIUM

- 1 Ordo multipliciter accipitur.
- 2 Ordo quid dicatur.
- 3 Est vere, & proprie sacramentum.
- 4 Institutum a Christo Domino.
- 5 Ordines omnes septenario numero continentur.
- 6 Officium vniuersiusque explicatur.
- 7 Diaconi munus consistit in nouem.
- 8 Presbyteri officium quale, & quando à Domino institutum.
- 9 Ordines septem secundum Theologos, sed secundum Iuristas nouem.
- 10 Episcopatus, Palsmistatus, & tonsura non sunt ordines, num. 9.
- 11 Tonsura effectus ordo.
- 12 Ordines septem conuenienter sunt in Ecclesia Dei.